

conuerti uoluerunt ab ini-
ritate sua. Habent cer-
uicis & sciunt meliora
te praesentant. ut nihil
suis meritis tribuan-
t. deperunt. de his in-
timeli. ut si uiae estantia
nullis qd de talibus aut
im. scilicet de uirtute inuit
desideru. nisi om. nihil
nisi in o. ad est in scilicet semp
alio. necessarii. si quis
eq. quicquid qd in omni
m. Ili aut neglexe-
runt alius in nulla sua.
in omne sua; Amiserunt.

tanti ad sustentatione. huius pre-
sentis pertinent uiae: qd in mundi
delectatio. qd in massa. parat qd po-
Vnde dicitur; Ne illi neglexerit. & abierit
alius in nulla sua. alius ad negotiatio-
ne sua; In nulla te est. In terrene
immoderate incurrere. In negotia-
tione uero te est ad honori uero terri-
latum licet in hunc; Quia enim
alius in tentus labor terrene. alius
uero mundi huius ad honori; delectus
mysterii incarnationis dominicae
pensare & scdm illi uiuere diffini-
lat quasi ad illa uel negotium p-
gens. uenire ad regis in p. tras fecerit
I. p. plerumq; quod est gratia in simili
rioram. qd in in hunc. p. uim
fai. etiam in fecerit; Ne in e. & in hunc.

Med. Lat.

Opera
am opera
que p
opera

Ne in hunc uel in hunc
Ne in hunc uel in hunc
Ne in hunc uel in hunc
Ne in hunc uel in hunc

13



Continetur hoc Volumine
DUNCANUS LINDSEI SCOTI

Disputationes,

Theses Logicae

Propositiones Astronomicae de diebus & Annorum differentijs
De facultate Vegetante.

De Philosophia ejusq; Instrumentis.

In II. Meteororum de Misi generatione Disp. I.

In III. Meteororum de Concoctione Disp. II.

Disp. Pathologicarum, I. de Morbis.

II de Causis Morborum in gre.

V.

VI.

IIIX.

Disp. posterior de Praesagijs

de Peste disp. prior.

De Natura & Facultatib; medicamentorum.

De Compositione & Preparacione medicamentorum.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib;, Scarificatione.

De Febribus Natura Disp. I.

De Febribus II.

De Febribus III.



Disputatio de Febris
SECUNDA.

Continens

**FEBRIS EPHE-
MERÆ NATVRAM,
DIFFERENTIAS, CAVSAS, SI-
gna & curationem,**

Quam

D. T. O. M. F.

Sub presidio

DVNCANI LIDDELI SCOTI,
PHIL. ET MED. DOCTORIS, EIVSDEM FACVL-
*tatis & Superiorum Mathematicum Professoris Publici, in
illustri Academia Iulia,*

pro viribus tueri conabitur

IOANNES LOIECIUS OPPOL.

Siles. Med. stud.

Ad 29. Nouembris.

HELMÆSTADII

Excudebat Iacobus Lucius.

Anno MDCCXIII.



NOBILISSIMIS,
CLARISSIMIS ET
 EXCELLENTISSIMIS
 VIRIS,

DOMINO MATTHIAE TIMI-
 NO AB OTTENFELD.

DOMINO ELIAE CVNTSCHIO
 DE BREITENVVALDT.

PHIL. & MED.

*utriusq; Doct.
 exercitatis.*

Dominis & Amicis suis,

obſæ & beneuolæ ergò

O. & C.

IOANNES LOIECIUS
 Respondens.



*Excudebat Jacobus Lucius.
 Anno c. 17. 17.*





THESIS I.



Icet in tradendis cuiusq; generis speciebus parum re-
ferre videatur, à qua potissimum initium facia-
mus, tamen cum inter species febrium Ephemera
omnium simplicissima, breuissima, & curatu facil-
lima sit, satius esse ducimus ab ea ordiri.

2. Inditum autem huic febrium generi, Ephe-
mera siue Diaria nomen, non ab essentia eiusdem, sed conuenienti
nomine distituti, ab eo quod sapissimè fit, clarioris doctrina gratia.
Vocatur ἐφίμερον unius diei opus, unde Aristot. s. de histor. ani. animal
illud, quod eodem quo nascitur die decedit, ἐφίμερον appellauit:
item Κολχιδόν Dioscorides ἐφίμερον nominauit, quia eodem die,
quo assumitur hominem interficit: pari ratione febris, quæ in spiri-
tibus primo residet, ab eo quod ut plurimum fit, Ephemera dicitur.
Nam plerumq; febris ista ultra unum diem naturalem, siue 24. horas
non prorogatur, rarissimè ad plures dies extenditur, & potissimum
ubi dependet ab obstructione, aliq; causa permanente: nam spiritus
cum tenuissimi sint, facileq; dissipabiles, citò facileq; incalescunt, &
cito ad naturalem temperiem redeunt, aut calidiores facti, facile
exhalant, nouiq; in corde cito gignuntur, non affecti à calore præter
naturam, nisi à caussa aliqua foueatur, quæ non sinit calefactos præ-
ter naturam spiritus refrigerari, sed sanguinem simul calefacit, unde
Ephemera extensua, & synochus simplex non putrida.

3. Definiri poterit Ephemera calor præter naturam accensus in
spiritibus potissimum, aliquando simul in sanguine, sed sine putredine,
& à corde per arterias & venas in totum corpus diffusus, actiones
manifestè ledens.

Definitio
Epheme-
ræ.

4. Consistit Ephemera in calore influente à corde per arterias potissi-
mū, aliquando in sanguine concalescente sed nondū putri, & primo spi-

Subiectum
Epheme-
ræ.



ritus vitalis, qui in corde & arterijs continetur, accenditur, deinde spiritus naturalis & animalis: nisi enim calor non naturalis spiritus cordis occupauerit, & calor natiuus cordis in igneum conuersus fuerit, febris dici nequit, licet causa accendens febrem alias ab alio spiritu incipere queat, ita tamen, ut mox ceteros inuadat, donec dispositio ad cor & spiritus vitales pertingat. Nam aliquando à naturali spiritu incipit calor non naturalis, ex ebrietate, satietate, inedia &c. aliquando ab animali ex vigilijs, curis, cogitationibus &c. non raro à vitali, ex ira feruore, mœrore &c. Accenso calore natiuo in cordis spiritibus, siue calore cordis in igneum mutato, necessario in totum corpus per arterias & venas effunditur, ut superiori disputatione demonstratum est.

5. Omnis autem calor febrilis acris igneusue est, at calor Ephemera quia in tenui substantia residet, ceterarum respectu leuis est, facileq; dissipatur. Quò enim materia quæ accenditur, crassior densiorue est, eò calorem vehementiorem acrioremue concipit. Residet calor febris Ephemera in spiritibus, plerumq; solis, aliquando in sanguine tantum concalescens, nondum verò putri. Nam quando spiritus primo acceduntur, deinde solida cordis substantia, ita ut constituatur in concalescens esse, aut humores in ventriculis cordis, ut putrescere incipiant, tum diaria non permanet, sed è diaria in hecticam aut putridam transitus erit. Verum quando sanguis tantum concalescit, sine vlla putredine, febris à natura Diaria nondum degenerabit, licet in sanguine concalescens consistat, & ad plures dies extendatur. Nam magna Ephemera latitudo est, & non necesse dum in putridam aut hecticam transit, nouam quandam speciem imaginari quæ neutrius extremorum formam exhibeat, & indiuisibile consistat, sed sufficiunt tres illæ primæ februm species.

Differentia
Ephemera
ratione
subiecti.

6. Omnis enim febris orta à sanguine tantum super calefacto ad aliud genus quàm Ephemera referri nequit. Itaq; Ephemera duplex erit. Vna simpliciter dicta, quæ consistit in spiritibus tantum & horis 24. Siue die naturali plerumq; finitur. Rarò ad secundum, rarissimè ad

mè ad tertium extenditur. Altera que consistit in sanguine conca-
lesfacto & ad plures dies prorogatur, quæ synochus simplex & sine pu-
tredine propriè dicitur, à Barbaris synocha inflatua. Dico pro-
priè, quia communiter omnis Ephemera plurium dierum, Ephemera
synocha dicitur, licet non semper consistat in sanguine concalesfacto
ut infra dicemus.

7. Viraq; febris vno circuitu continetur, & calorem leuem mi-
remq; habet, ut hectica acrem cum squallore; putrida acrem cum va-
porum copia. Verum distinguuntur non solum temporis diuturnitate,
sed etiam quantitate caloris & magnitudine caussarum. Nam ca-
lor diaria, qui consistit in sanguine acrior est, quàm qui in spiriti-
bus, & magnam vaporum copiam edit. Sed calor & vapores in syno-
cho simplici minus acres sunt, quàm in febre putrida. Deinde diaria
simpliciter dicta & synochus easdem caussas habent, sed vehemen-
tiores multò, synochus leuiore. Diaria exquisita.

8. Accenduntur autem primò à causis calefacientibus spiritus
in corde, deinde si à causa actu foueatur, quæ non sinit spiritus re-
frigerari, ad plures dies prorogatur, & si adsit plethora, plerumq;
sanguis sensim incalescit, unde synochus sine putredine oritur. Igi-
tur diaria omnis vel in spiritibus tantum consistit, vel in sanguine
tantum concalesfacto, ceteriq; tres succi febrem non excitant, nisi
putrescant. Nam Melancholia & pituita non accenduntur sine pu-
tredine. De Bile flaua dubitatur. Nam Fernelius ex nimia bilis
concoctatione synochum noxam oriri putauit. Verùm cum pleriq;
Ictericis, quibus bilis redundat & concitatur febre careant, credibile
non est à bile sine vlla putredine febrem oriri, aut citra omnem pu-
tredinem ita concitari posse, ut per se simpliciter febrim excitet. Non
tamen existimandum est cum Arbeno, omnem febrem à putredine
oriri, nec perpetuò caussam aliquam coniunctam habere. Febris qui-
dem putrida sine causa continua quæ eam genuit actu aut fouet con-
sistere nequit. At hectica & diaria sublata causa, febrem accenden-
te, tam diu durat, quàm diu calor quem spiritus & solida partes con-
ceperunt.

Causæ
ephemera-
rum.

9. Origo autem Februm Ephemerarum est à causa procatarctica, procatarcticas autem siue externas causas vocamus, non quæ extrinsecus semper adueniunt: (Nam quadam intrinsecus promanant, ut Excreta, & Retenta præter naturam: nonnulla à nobis excitantur ut motus, quies, affectus &c.) sed quæ omnibus extrinsecus patent, & inter ea non numerantur, quæ corpus nostrum constituunt, quarum alia necessaria sunt, ut sex res non naturales, alia fortuita.

10. Peculiariter verò Ephemeram excitant omnes cause alijs febribus communes, excepta putredine, de quibus superiori disputatione dictum est. In specie verò, secundum Galenum, ira, sollicitudo, tristitia, vigilia, lassitudo, quæ ad motum improbum referuntur. Secundo æstus à calore solis, ignis, balnei & similitum. Item adenum & inguinum tumores, ut bubones, à quibus per continuam alterationem vicinis partibus calor communicatur, donec ad cor dispositio contingat, quæ omnia ad viciniam & contactum rei calidæ reduci poterunt.

11. Tertio pororum cutis & meatuum constipatio, transpirationem fuliginosorum vaporum impediens. Oritur autem constipatio ab obstructione exituum meatuum, siue paruarum venarum, & arteriarum à crassis & viscosis, aut copiosis succis, vel ob meatuum conuientiam, & subsidentiam, ex immoderata corporis densatione, à frigore, balneis, aut medicamentis refrigerantibus & astringentibus, ut balneis frigidis, aluminosis, &c. aut ex cutis nimia exiccatione, ab ustione, dura frictione &c. Præterea ciborum cruditas in ventriculo, ubi in nidorulentiam, aut fumosam qualitatem corrumpuntur, ephemeram accendere solet, & simul in ventriculo affectum phlegmoni similem. Item catarrhus acris, alimenta & medicamenta æstu vel potestate calida, quæ omnia ad permixtionem rei calidæ referuntur.

12. His causis adduntur ab Auicenna alijsq; timor, gaudium, animi tranquillitas, Somnus & quies immodica, dolor, fames, sitis, Syncope, nausea, crapula, immodica euacuationes, asperitas cutis &c.

Hæc



Has omnes causas Avicen. ad tria genera reducere videtur: primo, ad perturbationes animi, vel corporis, sub quibus ira, vigilia & sitis. Secundo ad affectus corporis, sub quibus constipatio obstru-
ctio, bubo. Tertio ad ea quae extrinsecus obveniunt, ut aestus, frigus &c. Origo quidem Ephemeraum est à causa aliqua Procatartica, & potissimum Diariorum, quae uno die terminantur, quae vero plurimum sunt dierum, aut in aliam febrem degenerant, ab interna aliqua causa foveantur, licet initium habeant à causa evidenti & recenti.

13. Omnes haec causae pari modo in omnibus febrem non accendunt, sed aliae magis per se, ut aestus, alimenta calida, suppressio calidi effluuii, inflammationes adenum, Ira, lassitudo: aliae interueniente uno, aut pluribus mutationibus, ut quies, somnus, animi tranquillitas &c. ut superiori disputatione dictum est.

14. Omnium opportunissimi sunt ad hanc febrem, qui temperamento calido, siccoque praediti sunt, & multos, acresque fuligines colligunt: tales enim ab aestu, motu improbo animi vel corporis, pravae victus ratione & similibus facile incalescunt, & à constipatione pororum cutis, fuligines coaceruati facile efferuescunt, breuique spiritus inflammant, ac communicato calore ipsi cordi Diariam simpliciter dictam excitant: Diariam vero extensiuam, siue synochum communiter dictam, haec eadem causa si vehementiores fuerint, aut actu febrem ita foveant, ut non sinant spiritus calefactos eo temporis spacio refrigerari, praecipue magna constipatio, cruditas, Catarrhus, bubo. Synochum vero simpliciter, proprie dictam, si sanguis concalescat, à valida meatuum obstructione cum plethora.

15. Quod si corpus Cacochymicum fuerit, plerumque Ephemera in putridam degenerare solet; nam nisi vitiosus succus penitus transpiret, necesse est, ut putrescat: Si enim à spiritibus ad cordis substantiam fiat caliditatis transsumptio, in hecticam degenerabit, ut superiori disputatione dictum est. Nam corpus calidum & siccum, si inedia utatur, Ephemera aliquando in hecticam transit, per inediam enim non solum bilis concitatur, & materia acrior redditur, sed etiam
iam

iam calor innatus, qui nunquam otiosus est, cum non inueniat com-
modum obiectum, agit in sanguinem, solidasq; partes. Deinde Ephe-
mera si à prohibita transpiratione oriatur, & viamur, qua obstructio-
nes non aperiunt, non solum febris prorogatur, sed etiam successu
temporis necesse est humores putrescere, & Ephemeram in putridam
degenerare, maxime si adest Cacoehymia, aut plethora quo ad vires.

Differentia
Ephemerarum.

16. Differentia Ephemerarum sumuntur à subiecto, à duratio-
ne, & causis Ephemeram accendentibus. A subiecto: alia Ephemera
consistit in spiritibus tantum, qua Ephemera simpliciter dicitur, alia
in sanguine concalesceto, qua synochus proprie vocatur, ut supra di-
ctum est. Deinde à duratione, alia exquisita, simplexq; est, qua
ultra unum diem non prorogatur: alia minus exquisita, qua ad plu-
res dies extenditur, unde Ephemera extensua dicitur, & communi-
ter quidem synochus simplex aut sine putredine. Verum proprie iux-
ta Gale. & Aetium omnis Ephemera plurium dierum synochus sim-
plex non est, sed illa tantum, qua consistit in sanguine concalesceto,
cum magna benignorum vaporum copia, à valida meatuum obstru-
ctione, potissimum in corpore Iuuenili & Plethorico.

17. Nam ubi Diaria ex constipatione vasorum circa curim ori-
tur, si exigua fuerit, probeq; curetur, ultra unum diem non produci-
tur, & Diaria exquisite vocatur, eadem in similibus ratio est: at si
non rite curetur, in Ephemeram plurium dierum interdum trans-
mutatur, potissimum in corpore Cacoehymico, dum multum fu-
erint voraces, item in plethora quo ad vires. Idem euenire solet
in Ephemera, à bubone, crapula ac catarrho: sed haec febres propriissi-
me synocha non sunt, licet ita communiter dicantur. At si constipa-
tio meatuum causa febris fuerit, à valida obstructione, & humores
vehementer impacti in corpore plethorico calido, Ephemera plurium
dierum oritur, qua synochus simplex dicitur, Barbaris synocha in-
flatiua, & à synochis putridis tota essentia sua distinguitur, licet co-
rrag; una accessione contineatur.

18. Cum autem in omni synochia proprie dicta, ex effervescentia
huma-

humorum, magna vaporum copia attollatur qua tota non expirat, & ea quae proxima sunt accendat: ex proportione illius quod accenditur, ad id quod transpirat. siue ex intensione vel remissione caloris febrilis, in tres species synochus diuiditur. Nam primo quando à principio ad finem calor similis perseuerat, & id quod accenditur, ei, quod transpirat, omnino par videatur, ut nec minui nec augeri in toto decursu calor sentiat, eiusmodi febres Graecis ὁμοτύχης, & ἀκμαστύχης appellant, si illorum duorum proportio inaequalis fuerit, calor similis non permanebit, nam si id quod accenditur vincat, necesse erit calorem febrilem continuo incremento sensim inualescere: si id quod transpirat: vincat, febrem statim à summo quasi vigore incipere, sensimq; minui, priores ἐπιαιμαστύχης & ἀνακατύχης: posteriores πνευμαστύχης vocant: omnes haec febres vno circuitu continentur sine vlla repetitione, nouaq; accessione quemadmodum synochus putrida, in qua massa sanguinis, non solum inflammatur, sed etiam putrescit.

19. Postremo differentia Ephemerarum, sumpta à causis ex supra dictis facile intelliguntur, verum causa illa in Diaria plurium dierum, post generationem febris interdum manet, ut quae fiunt à glandularum inflammatione, cutis & meatuum constipatione, crapula, Catarrho: in ceteris post genitam febrem plerumq; recedunt, & febrem actu non fouent, proinde nihil proprie indicant.

20. Ephemera dignoscuntur praecipue ex causis evidentibus praegressis, deinde ex effectis, & symptomatibus: in specie vero praecipua Signa Diagnostica. signa Diagnostica ex quinq; potissimum desumuntur, nimirum ex causis febrem accendentibus. 2. Ex qualitate caloris febrilis. 3. ex pulsu. 4. Ex urina. 5. Ex forma ipsius febris & partium eiusdem.

21. Inseparabile sed non plane proprium Ephemerarum signum est, à causa aliqua manifesta quae eam praecessit, incipere, licet ut supra dictum est, Ephemera plurium dierum à causa interna nonnunquam foueatur: incipere autem à causa manifesta, commune est febrium Ephemerarum, non tamen ita proprium, ut nequeat alijs febribus contingere, nam hectica aut putrida aliquando à procatartica

B

inci-

incipit, licet non immediatè, à causa manifesta adhuc recenti vs
Ephemera.

22. Secundo calor Ephemera tam acris non est ut aliarum februm, sed suavior, mitiorq³, licet in omni Diaria confestim ad manus iniectionem calor maior percipiatur, quàm naturaliter esse debeat, precipue in constipatione à frigore, & ab astringentibus: tamen calor ille cito à manu superatur, quo signo ab Heëtica etiam distinguitur. Residet enim calor ille in materia tenui, minusq³ acri & teste Auicenna se habet ut caliditas corporis laborantis, aut temulenti: Edit autem synochus simplex propriè dicta potissimum magnam benignorum vaporum copiam, non acrium ut febris putrida, sed calorem magis acrem habet, quàm Ephemera simplex

23. Tertio efficacissima signa febris teste Galeno, 1. ad Glauc. cap. 2. consistunt in pulsibus & urinis, cum febris primo cordis deinde arteriarum & venarum sit affectus, & à corde pulsus, sed venosi generis excrementum sit urina. De distinctione februm ex pulsibus, superiori disputatione dictum est: nam omnes Ephemera secundum Galenum, pulsus in magnitudinem, vehementiam & velocitatem, quantum in ipsis est immutant, si nihil aliud concurrat: propriè vero ad magnitudinem & celeritatem effatu dignam pulsus accedit, ad frequentiam non item: cum enim Diaria putredine careant, necessitas nulla urgeat, expellendi fuliginosa excrementa, sed febrilem calorem euentandi. Proinde in Ephemera, contractionis vsus non augetur, sed dilatationis, & interna quies breuior, exterior parum aut nihil à naturali statu mutatur, atq³ ita Diastole velocior est, quàm Systole, quia Diastole magis ad refrigerationem, Systole ad expulsionem fuliginum constituta est. Deinde inseparabile signum Ephemera est equalis & incompressus ascensus & in caliditate & pulsibus, sed non plane proprium, item cessante accessione pulsus ad naturalem statum penitus redire. Si signa ex pulsibus dubia videantur, confugiendum est ad respirationem, cum unum eundemq³ sinem habeant.

24. Quarto quia febrilis calor in spiritibus propriè accensus est,
non

non in humoribus, qui in venis continentur, omniq; putredine careat. Urinae venosi generis excrementum, naturalibus similes erunt, aut parum ab his mutata, bene colorata, ruffa, aut non nihil tineta, praecipue in synocho, ac prima die statim concocta, licet nonnullis harum nebula, alijs Eneorema, plerisque optima hypostasis insit, nisi Ephemera in putridam degenerare inceperit.

25. Tandem signa sumpta ab accessionis forma, & partibus eiusdem varia sunt. Primum facilitas tollerandi accessionem magnum signum Ephemeræ est, incipit proprie sine horrore, rigore, frigore, nisi adsit irritatio aliqua à bile, inedia, & similibus. Incrementum æquale est, vigor non immoderatus, nec intollerabilis, & sine pravis symptomatibus, declinatio brevis, cum sudore, madore, vapore, quam sequitur perfecta febris solutio & cessatio, intra 24. horas, raro ultra secundum diem, rarissime ultra tertium, & potissimum in synocho simplici, proprie dicta, nam in synocho non putrida calor febrilis paulo vehementior est cum vaporum benigniorum copia, pulsus maiores, frequentiores, urina magis tineta, constitutio plethorica, tensio venarum, rubor faciei, pulsatio temporum, gravitas capitis cum dolore, &c.

26. Etsi causæ diariæ recentes & manifestæ sunt, tamen quia aliquando post febris generationem prætereunt, aliquando permanent, utile est utrasq; cognoscere, præsentem quidem, quales sunt meatuum constipatio, cruditas, &c. ut remoueantur ne actu febrem foveant: præteritas verò ut perturbationes animi & corporis, estu &c. ut curatio melius procedat, & affectus omnes præter naturam in corpore remoueantur. Signa horum sumuntur potissimum, ab effectis nimirum calore, pulsu, urina, ex habitu corporis & similibus.

27. Nam ira & furoris signa sunt: calor maior & è profundo celerius erumpens, pulsus magnus, urina calidior quàm acrior, nulla oculorum cauitas, nec decoloratio. Tristitiæ verò & sollicitudinis, calor cutis moderatior, siccioreq; pulsus minor, urina acrior quàm calidior,

lidior, corporis extenuatio, oculorum cauitas & decoloratio inconsue-
ta cum siccitate. Vigiliarum eadem propemodum signa sunt, sed fa-
cies vigilantibus subhumida est, oculorum motus ligatus, ut palpebras
vix attollant, ipsi oculi pallidi cum multa humiditate.

28. AEstus signa sunt: cutis siccior, calidior, capitis dolor & ar-
dor, pulsus & respiratio magna, calor primo statim manus occurso, a-
crior, sed post mitis: contra quam in diaria ex astrictione cutis.
Nam in astrictione cutis, caliditas primo minor est, sed paulo post
acrior sentitur, cutis siccior, corpus tumidius, pulsus magnus, urina
minus tincta. Obstructionis meatuum similia quidem signa sunt, ut
astrictione cutis, verum in obstructione adest sensus maioris graui-
tatis, urina magis tincta, pulsus variores, nullus sudor & potissimum
si magna sit redundantia à crassis humoribus. Nam ubi ex nimia
plenitudine aut cruditate Ephemera oritur, oculi & facies potissimum
rubicunda est, urina magis tincta, pulsus celeriores cum tensione
venarum.

29. Bubo quidem caeteraq; adenum inflammationes sub sen-
sum cadunt. Ephemera, verò quae ex Bubonibus fiunt, calorem
magnum, ad statum usq; potissimum, sed minimè mordacem habent,
à quo vapor calidus ex profundo prodit, pulsus in his magni, celeres
& frequentes sunt, facies rubicunda, urina subalbida. Oportet autem
has febres distinguere ab illis, quae ex inflammatione visceris alicu-
ius, aut ex pestilenti febre, aut putredine humorum in cauis aut ma-
gnis vasis oriuntur. Nam in bubone, putrida fuligo in loco bubonis
circumscripta est, & partes proxima, una post aliam calefiunt, do-
nec dispositio ad cor pertingat. Contra in febribus putridis, in quibus
non tantum partes vicina accenduntur, sed etiam fumus à putrescen-
tibus humoribus aut visceribus ortus per vasa ad cor defertur. De-
inde Bubones unde Ephemera benigna sunt, & à causa magis mani-
festa & febrim antecedunt: at caetera bubones maligna sunt, teste
Hip. 55. aph. 4. & febrim consequuntur.

30. Quibus ex lassitudine diaria euenit, cutis siccior est, quam

im

in alia Ephemera, ante vigorem potissimum, post verò plerumq; calidus vapor ex intimo corporis effertur, nisi refrigeratis, aut à sole exustis, cum lassitudine. Nam his quidem pulsus potissimum exigui sunt, cæteris magni. Fomes caloris febrilis, sicut q; partis in qua potissimum accenditur, dignoscitur ex causis procatarctis. Nam si ab ira, cæterisq; affectibus, erit fomes in corde: Si à vigilijs, curis, laboribus, à cerebro primum calor cordi communicatur. Si à crapula, cruditatibus, re venerea & similibus ab hepate. Signa cæterarum causarum brevitatis causa omitto. Oportet enim non solum genus hoc februm cognoscere, sed etiam particulares eius differentias à diversis causis ortas; singula enim ferè peculiarem quandam curationem exigunt.

31. Ephemera si in corpus calidum & siccum incidat, in Hectica Prognostica. facile degenerare solet, si in cacochymicum in putridam. Synochus simplex nisi statim subueniatur, in putridam transmutari solet, & si magna sit plenitudo, periculum est Anginae, Haemorrhagiae, pleuritis, aut alterius grauis affectus. Soluitur synochus plerumq; sudore aut haemorrhagia, aliquando exanthematibus, idq; tertio aut quarto die, aliquando in putridam degenerare solet. Præterea in variolis & morbillis, febris interdum synochus simplex est. Permutatio autem Ephemera in alias febres, dignoscitur ex modo declinationis eiusdem. Nam si declinatio Ephemera fiat citrà sudorem, omnemq; aliam euacuationem, Item si longa difficilis, pulsusq; permaneant præternaturam, vnà cum alijs symptomatibus, in febrem Hecticam vel putridam transmutabitur. In quam autem febrem fiat transitus ex proprijs illius signis non difficile erit cognoscere. Diaria quæ ex adustione, cruditate, lassitudine, vigilijs, aut animi perturbatione, bubone ex euidenti causa; nunquam ad tertium diem prorogatur, nisi quid delictum sit citrà agrotantem. At quibus constipatio causa est, ijs ultra diem tertium porrigi accessio solet, & si non rectè curentur, merus est, ne in aliam febrem degenerare incipiat. Bonum est in hac febre agrum ad ea quæ offeruntur benè se habere, & si malum à



erapula & cruditatibus potissimum, aluum laxam esse.

Curatio E-
phemerae.

32. Cognitio Diaria maiorem postulat diligentiam quam cura-
ratio. Nam si probe non dignoscatur, & aliquid nos lateat, error
aliquis contingere solet in curatione, victusque ratione, unde in pu-
tridam aut hecticam degenerare solet, licet sua natura brevissima
sit, & curatu facillima. Indicatio curatiua sumitur potissimum ab
ipso morbo, non à causa in Ephemera simplici, quia desit, nisi febris
adhuc in fieri tantum sit, aut Ephemera plurium dierum, à constipa-
tione cutis & meatuum, à cruditate, bubone & similibus: In his cau-
sa tollenda erit, ne febrem ulterius foueat; in illis quia desit, nihil
desiderat, nec etiam symptomata, quia leuia, & sublata febre facile
euanescent.

Indicatio-
nes.

33. Nam Ephemera proprie dicta, quia in leui affectione tan-
tum consistit, & in tenuissima substantia residet, cuius calor, sponte
& citrà medici auxilium euanescit, proinde raro auxilijs ullis indi-
get, sufficitque precauere, ne in febrem plurium dierum abeat: Item
ne in putridam aut hecticam degeneret; sublatis causis presentibus
& adhibita conuenienti diata. A viribus autem quia integrae sunt,
plerumque nulla sumitur indicatio & proprie aut prima ratione in
has febre nihil indicant, sed secundario & ex accidente tantum. Ipsa
Ephemera indicat proprie refrigerantia, secundario humectantia, ut
siccitatis presentis vel imminentis ratio habeatur. Norma refrige-
rationis sit illa, quae superiori disputatione proposuimus. Virtus indicat
conseruantia, causa contraria, pro modo & ratione causae. Nam reple-
tio euacuantia, constipatio cutis relaxantia, obstructio aperientia &c.

34. Ad materias auxiliorum quod attinet, in Diaria simplici,
ut diximus, sola diata sufficere videtur, in ceteris cum diata inter-
dum pharmacia & chirurgia requiritur. Diata autem in Epheme-
ra sit calida, humida, sed habita ratione naturae, aetatis, consuetudi-
nis & similibus. Consistit Diata in cura sex rerum non naturalium,
quemadmodum in superiore disputatione dictum est. Sed alia atque
alia pro ratione causae. Omnium autem laborantium Ephemera, com-
munis



munis victus esto cibus boni succi concoctu facilis, qui exiguis meatibus non inhereat, ut ptisana, hordei halica, potissimum cum modico aceto distributionis gratia, pultricia ex auenato aut hordato; panazella. Pisces saxatiles, carnes pullorum gallina &c.

35. Verum febricitantium ex labore cibus sit bene nutriens ut carnes pullorum, panis non lotus &c. similiter ex inedia: At ex refrigeratione alimentum sit nutriens modiceq; calefaciens: ex vigilijs, curis sollicitudinibus, quod humectat somnumq; inducit ut, lac amygdalarum cum semine papaueris &c. Ex ira; ritione; refrigeratione, quod humectat, ut cremor ptisana, lac amygdalarum cum seminibus frigidorum. Verum laborantibus synocha, item ex bubone ante inflammationis solutionem, ex magna obstructione, catarrho acri, ex vigilijs cum dolore capitis, ex ira & furore, aut si metus sit hectica vinum omnino interdicens est, dandaq; aqua hordei aut cereuisia tenuis; ceteris vinum concedi poterit pro consuetudine, precipue fatigatis, tristibus, curis, & sollicitudinibus vexatis. Si malum sit ab obstructione, & ex crassis frigidis humoribus, extenuantibus & incidentibus erit utendum, ut Syr. Aceros. Oxymell. mulsa &c. Verum Mulsa & mel biliosis naturis aduersa est, & facile in bilem vertitur. Quibus autem temperatura calidior sicciorg; facta est, metusq; hectica, eos conuenit, circa primum accessus insultum nutrire, nec declinationem spectare, multo minus diatriton Methodicorum indicere. Quantitas alimenti aestimatur ex indigentia, item ex viribus, aetate, consuetudine agri. &c.

36. Veteres simplicem diariam, Dieta refrigerante & humectante, Balneis dulcibus, mollibus frictionibus & unguentis relaxantibus poros aperientibus potissimum curarunt, quae omnia in declinatione precipue conueniunt, sed aliter atq; aliter, pro modo generationis febris. Nam mos veteribus fuit frequenter balneare, adhibitis frictionibus & inunctionibus, ut praescribit Galenus lib. 2. de Sanitate Tuenda, & alibi. Verum hodie pauci per valetudinem frequenter lauare solent; multi nunquam; nulli ferè frictionibus & inunctionibus

utun-

utuntur more veterum. Non consuetis igitur pro balneo vile eris sudores in lecto prouocare, aut crura lauare cum aqua tepida decocti- nis Chamomill. Anethini, Malua, Meliloti & similium: ac in vapore aqua calida sedere, praemissa molli frictione, aliquando inunctione & fomentis relaxantibus.

37. Per balneum simpliciter dictum, apud veteres intelligitur aqua dulcis. Veteribus autem quatuor Balnei partes erant, nimirum aer balnei, deinde triplex solium, scilicet, aqua calidioris, frigidioris & intermedia, ubi deterguntur sudores. Verum in Ephemera conuenit in omnibus Balnei partibus media quaedam solij caliditas, aliquando aer balnei tantum, sed varius, & in diaria a densitate aut astrictione cutis potissimum. Aer quidem Balnei calefaciendi, hume- ctandiq; vim habet & penetrandi, proinde relaxandi, humores concre- tos liquandi, sed si diutius in eo ager moretur exsiccandi; Aqua calida semper madefacit, sed si adhibeatur primo, calefacit, deinde exspiran- tibus calidis vaporibus, refrigerat, aqua moderatè calida refrigeratos calefacit, calefactos refrigerat, poros relaxat: frigida quidem relaxat & humectat, sed simul repellit, constipat & perspiratum prohibet.

38. In omni diaria conuenit balneum dulce, sed aliud atq; aliud pro modo caussa, si nihil impediat. Prohibet autem magna obstru- ctio, cruditas, satietas, nausea, catarrhus a frigore. Ceteris quidem conuenit Balneum sed pro consuetudine, alijs magis, alijs minus. Fri- ctiones in Ephemera debent molles breuesq; esse, quae vim aperiendi & relaxandi habent, idq; in initio balneo potissimum, aut ante fomentationes. Inunctiones duobus modis fiunt, duplicisq; finis gratia. Inungimus enim aliquando agrum cum molli frictione, manibus oleo inunctis, initio Balnei praecipue, ut poros aperiamus: a- liquando sine frictione oleum adhibemus tantum, aut infundimus in fine Balnei, aut post deterfionem sudoris, ne vires concidant, ob nimi- am pororum apertionem. Ex quibus apparet Balnea, frictiones, inun- ctiones, fomentationes &c. Omnibus eodem modo non conuenire.

39. Diaria extensua & potissimum, quae causa praesentis ablati-
onem

onem exigit, alijs adminiculis indiget. In omnibus commune consilium est, ut corpus fluxile & undiq; transpirabile reddatur, ut iram, tristitiam, vstionem, lassitudinem aliasq; causas externas, ager fugiat, curamq; sex rerum non naturalium diligentissime habeat, ut superiori disputatione demonstratum est.

40. Vnicuiq; autem causa contrarium remedium adhibere oportet; labori quietem, vigilijs somnum, curis & laboribus animi tranquillitatem, ira, furori, mœrori, qua voluptatem & delectationem excitant, buboni inflammationis curationem deinde febris; constipatione pororum & meatuum, relaxantia, & emollientia, obstructioni extenuantia, incidentia, expurgantia, semperq; omnis redundantia primum euacuanda erit, ut si aluus resistat, Clystere emollienti, aut lenituo, ex Cassia, Elect. lenituo, diacatholic. infuso Rhabarb. & similibus subducenda. Si adsit plethora aut non transpirent humores ob meatuum obturationem vena secunda pro viribus agri & obturationis magnitudine, item consuetæ euacuationes promouenda, ut detracta multitudine meatus rarefieri, fuliginosi vapores pauciores fieri, meliusq; transpirare queant: Detracta igitur multitudine meatus referandi, Balneis, inunctionibus, frictionibus, alijsq; medicamentis refrigerantibus pro modo febris.

41. Nam febricitantibus ex ira, curis, vigilijs, nec multis fricti-
onibus, nec lauacionibus opus habent, sed initio paululum molliter fri-
candi multoq; oleo ungenti, cui nulla astringendi vis inest, ut oleo
amygdalarum dulcium, lini & tandem in declinatione pro consue-
tudinē tantum lauandi. Deinde ex ardore febricitantes statim
initio refrigerationem, crebrioremq; lauacionem desiderant, non au-
tem oleum copiosum, nec crebram frictionem. Oleum tantum adhi-
bendum non affricandum, caput statim inungendum oleo rosaceo re-
frigerato &c. ad declinationem usq; atq; ita in balneum ducendi,
concesso tantum leui vapore, dulcium temperatarumq; aquarum, nu-
trienti q; frigidis & humidis ut ptisana, lacte amygdalino, & simi-
libus. Eadem propemodum ratio est in defatigatis; sed defatigati

Curatio
Diaria in
specie.

C

in

in balneo dulcium aquarum diutius versari debent. Deinde copioso oleo molliter fricari.

42. Febricitantes ex suppressione fuliginosorum vaporum à frigore, post vigorem, in balneum calidum magis ducendi sunt, caput & ante & post balneum calefaciendum oleis calefacientibus, ut Nardino, Irino & similibus. Eadem penè curatio est, si contingat febris, ex densitate cutis ab astringentibus. Verùm post vigorem, in balneum aquarum temperatarum ducendi erunt; & primo in aëris balneo aliquando immorari debent, deinde affuso oleo dulci molliter fricari.

43. Si malum ex catarrho, & catarrhus à frigore, initio utile est caput oleo Irino & Nardino inungere, sed à balneo abstinere ante catarrhi concoctionem. Sin catarrhus sit ex ardore aut à capite calefacto, si consuetudo ferat, statim in balneum dulcium, temperatarumque aquarum ducere & caput refrigerantibus humectare: Sin ex inedia fiat, agrum in balneum ducere conuenit, & in solio tepido immorari & plurimo oleo dulcissimo perfundi, mollissimeque fricari & post balneum refici, deinde in solium calidius collocare, atque hinc nutriri alimentis boni succi.

44. Quando ex Adenum inflammatione oritur Ephemera, si redundantia sanguinis fuerit, antequam materia in parte inflammata putrescat, oportet venam secare, tenuique dieta uti, parti ante phlebotomiam potissimum, modice repellentia imponere, (ut oxyrhodynum) postea relaxantia & resoluentia (ut oleum chamomill: anethinum, Item fomentum ex decocto anethino, chamomill. fenugraci & similibus) & si discuti nequeat suppurantia (ut fomentum ex hydralco. cataplasma ex rad. lilior. alborum, althea & similibus) cessante inflammatione circa declinationem, tantum agrum lauare conuenit.

45. Si diaria ex cruditatibus oriatur, considera an ob cruditatem aluus fluat, an supprimatur. Si fluat & corrupta tantum euacuatam esse apparuerint, lauandi sunt & nutriendi in febris declinatione. Iuuari autem poterit materia euacuatio infuso Rhabarb. aut decocto
Myro-

Myrobalan. addito syrupo Rosato solutiuo. Sin plus iusto euacuatio procedat, satis erit citrà balneum nutrire, ventriculo prospicere. Nutrire autem utile erit pane infuso succo granatorum, aut citoniorum &c. Exhibere conseruam Rosarum cum speciebus rosata nouell. corall. Miua Citoniorum & similib. Si fluxus cessauerit, conceduntur pisces saxatiles, carnes pullorum, gallinae &c. Prospicimus autem ventriculo si amplius non fluat fouendo ol. absynthij, Nardino. Sin fluat, oleo Cidoniorum, Mastiches, Cerato stomachico &c. Quod si appetitus languerit, dandum erit medicamentum oxyporium, id est, concoctorium, & citò peruadens quale est compositum ex citonijs cum melle, Miua Citoniorum &c.

46. Quando verò aluus supprimitur ob cruditatem, plerumq; febris augetur, & prolongatur, maiusq; malum timetur. In talibus oportet materiam superfluā tantum educere, & si quid in ventre contineatur per superiora vomitu cum aqua tepida, aut oxymelite cum aqua hordei, si in intestinis per inferiora clysteribus emollientibus, detergentibus aut medicamento leniente, dieta tenuissima uti: post vomitum precordia fouere, deinde quiescere. Euacuata aluo statim nutrire, & si benè dormierit, postridiè lauare, ventriculum roborare oleo Nardino, sin protrahatur febris, tertio die etiam lauare, mediocriter nutrire cibo oxyporio.

Curatio synochi simplicis.

47. Præterea in diaria ex obstructione meatuum si prolongetur, & periculum sit, ne in putridam abeat, vel quia ab initio non probè curata est, vel quia humores redundantes non perfectè transpirant, primò omnium redundantiam euacuare oportet; nimirum cacochymiam purgatione, plethoram, vena sectione, si vires, ætas, ceteraq; consentiant. Detrahendus autem sanguis pro obturationis magnitudine, & viribus, quo vasa exspirationem iuxta naturam humoribus dominantur. Magnitudo verò obturationis aestimatur, ex magnitudine febris, detracta redundantia tum demum poros & meatus rarefacere, & aperire conuenit, foris oleis rarefacientibus, ut oleo chamomel. Anerbin. Amygdalar. & medicamentis extergentibus, ex farina fabarum, Erui, hordei, mulsa, aquosa &c. ascendendo

ad radices Aristolochia, Iridis, tandem ad saponem, nitrum, mel cum aqua &c. Intus verò extenuantibus, incidentibus utendum erit, nimirum oxymelire simplici, decocto apij, fœniculi, hyssopi, pulegij, &c. si obstructio sit à crassis viscosisq; humoribus, & habitus corporis minus siccus: alioqui syrupo aceroso, oxysacchara, decocto Adianti, graminis, sem. frigidorum &c. Post tertium diem non apparentibus signis cruditaris aut putredinis, si consuetudo ferat, consultum erit aegrum lauare, se 1 hora minimè suspecta. Suspecta autem est, in qua febris accessit, & primum oleo temperato, inungere molliterq; fricare, deinde detergentia adhibere. De cæteris vide Galenum lib 8. Meth. Aërium, Autcen. &c.

Curatio
Synochi
simplicis.

48. Tandem in synocho simplici eadem propemodum curationis ratio locum habet, ut in diaria plurium dierum, ex obturatione vasorum, sed ante omnia in synocho sanguinem detrahere conuenit. Nam scopi curationis in synocho simplici sunt, primum plethoram euacuare, deinde meatus rarefacere & aperire, crassa extenuare, viscida incidere, ut vapores pauciores fiant, meliusq; transpirent, item calorem præter naturam extinguere, tandem partes debiles rescicere & roborare.

49. Euacuatur autem plenitudo vena sectione, si vires ætas cæteraq; consentiant. Secta vena tantum sanguinis detrahendum est, quantum vires ferunt. Veteres detractionem precipiunt ad animi deliquium: Verum tutius videtur, sectionem repetere, quàm tantum sanguinis simul educere, ut vires prosternantur. Festinare oportet ad sanguinis detractionem, ut corpus transpiret, & ægros periculo eripiamus, alioquin ad summum discrimen perueniant. Nam nisi virium robore, aut fluxui sanguinis narium, aut sudore copioso à certa pernicie redimantur, periculum erit, ne suffocentur, aut in aliquem grauissimum affectum incidant.

50. Ante sectionem si aluus non respondeat, & impuritas in prima regione corporis fuerit, conuenit aluum balano aut clystere emollienti subducere, ne vena exinanita prauis excrementitijs succis repleantur.

antur. Item si ciborum cruditas in ventriculo, eius concoctionem expectare, aut vomitu reijcere, nisi in mora periculum sit, viresq; oppressa phlebotomiam urgeant. Verum in his alijsq; omnibus nature, habitusq; corporis, etatis, sexus & consuetudinis ratio habenda est, ut in Disputatione de Phlebotomia dictum est.

51. Animaduertendum autem est, an fluxum aliquem sanguinis moliatur natura. Nam si metus sit instantis fluxus sanguinis, precipue mensium aut hamorrhoidum, minus sanguinis detrahere conuenit, tantumq; relinquere, quantum per alias vias euacuandum putas; sin natura ceperit hamorrhagiam tentare, satius erit totum negotium nature committere, & si non satisfecerit, iuuare. Secunda autem erit vena iecoraria potissimum nisi alius affectus superueniat, (ut angina, pleuritis) & initio morbi potissimum, licet etiam postea si omissa fuerit, & vires ferant, vel septimo die utiliter secari queat: sin vires non ferant, aut ager renuat, scarificatione crurum sanguis aliquando minui poterit.

52. Galenus duo precipua huius febris remedia statuit, phlebotomiam & aqua frigida potionem. Si omissa sit vena sectio, aut recuset ager, ad frigida potum confugiunt veteres, sed non in omnibus sine discrimine, nec quouis morbi tempore. Datur autem aqua dulcis, optima qualitatatis, gelida, quantum agro bibere liceat, aut quantum vna respiratione haurire queat, non in principio, nec in augmento febris, sed in vigore apparentibus signis coctionis. Datur autem utiliter his, qui per sanitatem frigida assueti sunt, visceraq; firma habent, & succi pleni sunt, valida existente febre, & constante virtute. Nam talibus opportuno tempore exhibita partes solidas corroborat, ut humores concoquere, bonos retinere, malos per vomitum, aluum aut sudores reijcere possint. Laduntur vero aqua frigida potu plerumq; qui assueti non sunt, qui parum sanguinis aut carnis habent, qui tumorem preter naturam & inflammationem in visceribus, aut sunt referti crassis viscidisq; succis, item quibus ventriculus, gula & neruorum genus debilia sunt. Nam ex his nonnulli intem-

pestiva frigida porione paulò post in hydropem, spirandi difficultatem, tremorem, conuulsionem, lethargum, aliumue grauisimum affectum inciderunt. Frigida loco non assuetis, imperantur Iulepi & Syrupi, ut Syrup. acetosiat. citri, Endiuiæ, Acetosæ, oxysacchara, viol. Iuleb. viol. Rosa. & c. cum aquis appropriatis.

53. Post detractam sanguinis debitam quantitatem, plerumq; corpus ita refrigeratur, ut aut nullis aut perpauca refrigerantibus opus habeat. A vena sectione post duas horas exhibere conuenit aquã hordei saccharatam, deinde modicum hordeati aut panatellæ, deinde quietem somnumq; imperare & si adsint vigiliæ, exhibere lac amygdalarum cum sem. papaueris, lactuca & c. Atq; ita ad tertium usq; diem tenui diata uti potissimum in robustis, ubi breui vigor expectatur. Datur autem ptisana hordei, pulticula ex hordeato aut auenato, item panis triticus, imbutus & incoctus expressione sem. melonum, aut iuscula carniam condita lactuca, Endiuiæ, Acetosæ. Potus sit aqua hordei aut cereuisia tenuis. Tempus dandi cibi sit hora minime suspecta, sed cum synochus simplex à principio ad finem eadem sit, aquè toleratur cibus quavis hora, modo exigat virtus; eligenda tamen est hora consueta.

54. Quarto die, si nihil impediatur, utile erit in balneum ducere, constipationes meatuum & pororum cutis aperire, ut supra dictum est: quando resistit aluus mollibus clysteribus incitare aut medicamentis lenientibus, ut Elect. Diacatholic. Diacasia, Infuso Rhabar. Syros: solut. Manna. Purgandi quoq; sapius si febris protrahatur ne serosa aut biliosa excrementa putrescant. Si crassities aliqua sit in humoribus, attenuanda & incidenda erit Syr. acetoso, de Byzantijs, oxysacchara & c. aliquando oxymelite, ut supra diximus. Attenuata autem materia si urinis aut sudoribus non euacuetur, leui pharmaco educere conuenit, deinde obturationes pororum & meatuum cutis aperire, unde febris augetur, metusq; putredinis. Ad leniendam febrilis caloris vehementiam cordi & Epati Epithemata adiuuere
pote-

poterunt, ut superiori disputatione declarauimus, tandemq; ventri-
culus, ceteraq; viscera corroboranda appropriatis & idoneis reme-
dijs. Si diaria in putridam aut hecticam degenerare ceperit, cure-
tur ut putrida aut hectica, de quibus sequentibus disputationibus Deo
volente dicemus.

F I N I S.

ORNATISSIMO IUVENI DO-
MINO IOANNI LOIECIO AMICO
non è multis.

 Sic est, cui semel infinuat sese improba
Syren

Desidia, abstrusis gaudet is vsq; locis.
Assimilisq; vlulæ, micida illa videre diei
Tela oculi obtutu viuidiore negat.

Ast semel afflavit quem vultu dia virago
Qua Ductrice Hebes astra maritus habet.

Ille aquilæ de more frequentare aëra gestit:
Phœbeum contra nec timet ire iubar.

Care Loëciades sic tu te sistis arenæ,
Ut des sudoris grande tui specimen.

Grandib; his ausis macte, & pede præpete perge,
Sin cessas, tibi fers stigmata, fersq; tuis.

Præstat enim nunquam stadium virtutis inisse
Quam Circi in medio desilijisse rotis.

EBERHARDVS MOLLER.

EI-



E I D E M.



*I sic Elysiæ sequeris duo Sydera, quorum
Facta, Decor, Virtus, Fama per astra
volant :*

*Arte Machaonia, summa, qui, laude, fatigant
Agmina morborum mille, fugantq; procul:*

Cur non par summis euadas ipse Magistris?

Cur non par Tantis efficiare Viris?

*Dicam audacter: IO! CO Æ tu Dius ES
IN VLNIS!*

Augurium firmum sic anagramma putes.

*Quin precor, ut simili quondã tua laude virescãt
Facta: Decor, Virtus & super astra volent.*

Henricus Mylphort Vratis. Siles.
amico & fratri iucun-
dissimo F.



99 A 6903

(Nr. 24
nicht)

(25 Handschrift)

(9)

ULB Halle 3
002 636 220




(Nr. ~~ausgegeben~~)

VD17

ATA-OL





20,



Disputatio de Febris
SECUNDA.

Continens

**FEBRIS EPHE-
MERÆ NATVRAM,
DIFFERENTIAS, CAVSAS, SI-
gna & curationem,**

Quam

D. T. O. M. F.

Sub præsidio

DUNCANI LIDDELI SCOTI,
PHIL. ET MED. DOCTORIS, EIVSDEM FACUL-
tatis & Superiorum Mathematicum Professoris Publici, in
illustri Academia Iulia,

pro viribus tueri conabitur

IOANNES LOIECIUS OPPOL.
Siles. Med. stud.

Ad 29. Nouembris.

HELMÆSTADII

Excudebat Iacobus Lucius.

Anno MDCCXIII.